quis porrò sacros, tam Veteris, quàm Novi fœderis, codices satis penetraret? quis bellorum seriem, quæ Hebraicæ genti, à primo in Palæstinam ingressu, usq; ad excidium ejusdem, multa & magna illata sunt, ad oracula Prophetarum exquisitiùs intelligenda, ordine disponeret? quis maximos in ecclesia, in regnis, & in Rebus publicis eventus? quis vicissitudines memoratu dignas aut pro se complecti animo, aut communicare dextrè cum aliis posset? quæcunq; sive intra Ecclesiæ Christianæ pomœria, sive extra eadem, per omnes mundi ætates, in togata & bellica administratione, prudenter vel secus cogitata, suscepta, aut gesta fuerunt, ea omnia historiæ campus ὡς ἐν τύπῳ oculis clarissimè subjicit. Sed ne Iliada post Homerum, de studio, cujus plurimæ & summæ utilitates in omnes sese ordines latissimè diffundunt, quodq; nullam ætatis degendæ rationem patitur esse expertem sui, & quo nemo prudens ac doctus carere poterit, plura jam dicere supersedeo. Me quidem tùm hæc, tùm alia usq; adeo commoverunt, ut antiquitatis sacræ & profanæ cognitionem semper fecerim maximi, ratus, si quam ei post labores ordinarios, & post illum cultum, quem cœlesti debemus Numini, horam possem impendere, eam non sine fructu iri collocatum. Quòd verò judicarem, de Rebuspublicis hos inprimis, post earũ rectores, egregiè mereri, qui primum istarum ortum, progressus atq; incrementa è tenebris eruta in lucem protrahunt, atq; æternitati consecrant, nec meã operam, & qualem qualem industriam Vobis, Nobilissimi Viri, minùs gratam fore confisus sum, si in primos clarissimæ atque optimè constitutæ Reipublicæ conditores accuratiùs inquirerem, quæ per tot secula, atq; etiam nunc, vestra post DEum cura, & consiliorum inde felicitate, quia nunquam non recta & tuta sunt, caput & decus maritimarum urbium, aliarumq; quas